Vos, felices inquam, iterumq; felices estis Pauperes, qui à
à tantis miserijs, à tantis curis, à tantis molestijs calami-
tatibusq; liberi, immunesq; estis: pauperem quidem vitam a-
gitis, at plenam felicitate, plenam securitate, plenam tri-
pudijs, atq; hilaritate, distractam ab ærumnosi calamitate
luci futuræ Beatitudinis affluentem gaudijs, mortis moerorem
inchoantem immortalitati. Tuti ab eluvie, incendijs, à prui-
na curculionibus, volucribus. nihil vobis peccat in vitibus anto-
rax, in segete uligo, in horto polipedes, polycampæ; non im-
ber, non grando, non nebulas natura modico contenta, Dio-
geni vola cyathus, et dolium domus fuit, nec minus tamen homo
fuit, addo et Sapiens. Insuper artes nullæ, scientiæ nullæ, vel
admodum paucæ inventæ essent, nisi paupertas esset; nulli opi-
fices, non operæ mercenariæ, nullus sartor, pistor, sutor nullus
faber, institor, agricola; has artes opulenti non factitant
nulli servi, ancillæ nullæ. Si omnibus itaq; suppeterent ea quæ
vitæ sustentandæ sunt necessaria, quid demum sequeretur? In-
teritus omnium opificiorum, operarum fabrilium, artificio-
rum; substructiones, navigationes, aucupia, piscationes, mer-
catura pessum irent: et qui Domini forent, si nulli essent,
qui se servos profiterentur? ita paupertas conservat huma-
num genus, et ornat. Tollet Paupertas penitus ab Orbe,
simul boni mores, et virtutes pene omnes exulabunt. Edere
bibere, ludere, helluari, graecari, et pergraecari primarium erit
negotium. Luxum comitabitur luxuria, divitias vitia, ubi
rerum omnium abundantia est, ibi et plerumq; vitiorum. Testantur
hoc uberes anni, quibus plenæ potatorum caupona in omne
genus turpitudinis atq; insaniæ despumant. Testatur hoc hi